

nihil de Christo Mariae Filio evomentibus) confiteatur quod DOMINVS sit Iesus Christus in gloria Dei Patris.

32. Quo in loco illud observationem cumprimis meretur, quod constat Apostolum non agere de communicatione divinae Maiestatis, factâ extra tempus, per æternam Filij à Patre generationem: sed de exaltatione quæ in tempore facta, & passionem insecuta est. Quæ sanè una temporis circumstantia ostendit, ad divinam Naturam Christi perperam torqueri, quod personæ secundum humanam naturam in tempore assumptam propriè tribui debet.

33. Accedit & illud, quod vis ac Emphasis verbi ἐξαγίοῦτο, nullâ ratione admittit, ut de divinâ Naturâ Christi exaltationem istam accipiamus. Impium enim foret & Ariana impietati omnino affine, si divinitati Christi per donationis gratiam quicquam in tempore erogatum esse statuere quis velit.

34. Huiusmodi rationes cum sexcentas nobis & scripturarum & Orthodoxæ Antiquitatis monumenta passim ostendant: facessat Sacramentariorum furor & impietas, quâ Christo exaltationem ex parte divinæ Naturæ adscribere hodie haud pauci verentur.

35. Facessat & illa blasphemia, quâ aliqui Exaltationem Christo quoad humanam Naturam

ram